



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri Benedicti

Meyenschein, Benedikt

Hildesii, 1725

VD18 10311831

LXX. Ut nullus præsumat alium cædere vel excommunicare. Injussus cædat nemo; nec parvula lædat Corda furor cæcus, lege jubente secùs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

e) *Id est, maxime nociva.*

f) *Id est, rixarum, contentionum &c.*

28. APRIL. 28. AUG. 28. DECEMB.

CAPUT LXX.

*Ut non præsumat quisquam passim a
alium cedere.*

Ut vitetur *b* in Monasterio omnis præsumptionis occasio, ordinamus atque constituimus, ut nulli liceat quemquam Fratrum suorum excommunicare *c* aut cedere *d*, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes *e* autem coram omnibus arguantur, ut cæteri metum habeant *f*. Infantibus *g* verò usque ad quintum decimum *h* annum ætatis disciplinæ diligentia adhibeatur, & custodia sit ab omnibus *i*; sed & hoc cum omni mensurâ & ratione. Nam in fortiori ætate *l* qui præsumpserit aliquatenus *m* sinè præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus *n* sinè discretionè exarserit *o*, disciplinæ regulari subjaceat: quia scriptum est *p*: Quòd tibi non vis *q* fieri, alii nè feceris.

a) *Id*

- a) Id est, quilibet promiscuè.
- b) Alii omittunt ut. Antiquiores legunt, Vetetur.
- c) Nè excommunicatione quidem regulari minori, nedum majori aut Ecclesiasticâ soli Abbati competente. Vid. Statuta nostra pag. 203. & 209. cum seqq.
- d) Seu verberare.
- e) Puta, vel culpâ regulari, vel peccato publico.
- f) Ex Apostolo I. Tim. 5. Et ad hoc deserviunt Capitula culparum.
- g) Quæ vox hîc non accipitur strictè, sicut in Jure, pro puero septenni aut eo minori; sed paulò latius pro impubere, ut patet ex adjunctis.
- h) Puta, inchoatum; completo enim 14to masculi in Jure censentur puberes.
- i) Id est, diligenter ab omnibus attendatur; ut in disciplinâ vitæ ac morum bene fundentur ac custodiantur.
- l) Id est, in adultioribus.
- m) Seu aliquo modo; & subaudi ex præced. adhibere ejusmodi disciplinam.
- n) Subintellige ex initio, cadendis vel arguendis.

o) *Id est, indiscretè processerit.*

p) *Tob. 4. verbis similibus.*

q) *Intellige, rationabiliter: fortè enim Judex aut Superior, si esset loco subditi delinquentis, puniri se pro delicto nollet; sed quia hæc voluntas irrationabilis esset & æquitati repugnans, omnino tenetur facere oppositum.*

29. APRIL. 29. AUG. 29. DECEMB.

CAPUT LXXI.

*Ut obedientes sibi invicem sint
Fratres.*

Obedientiæ bonum non solum Abbati exhibendum est ab omnibus; sed etiam sibi invicem *a* ita *b* obediant Fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. Præmissis ergo Abbatibus aut Præpositorum *c*, qui ab eo constituuntur, imperio [cui non permittimus privata *d* imperia præponi] de cætero omnes juniores Prioribus *e* suis cum omni charitate & sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus *f* reperitur,
cor-